



Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges Francorvm, Carolvm Martellvm, ...

Gretser, Jacob

[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Regem Pippinum, in qua continentur benedictiones, & præfatus Papa poscens, vt Dominus Rex Pippinus, suos Missos partibus Romæ dirigeret, & sibi de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistolæ eiusdem Papa, ad
Domnum Regem Pippinum, in qua continentur benedictio-
nes, & præfatus Papa poscens, ut Dominus Rex Pippinus, suos
Missos partibus Romæ dirigeret, & sibi de salute vel sospitate
sua innotesceret, & qualiter in itinere egisset & quo mo-
do Dominus inimicos eius, in manus ipsius tra-
didisset & sub pedibus eius hu-
miliasset.*

XXXI.

DOMNO excellentissimo & nostro spiritali *Summ. 11.
Bar. &
Cent.*
Compatri Pippino Regi Francorum, & Pa-
tricio Romanorum Paulus Papa. Quoties fi-
delium Dei spiritalia referuntur studia, protinus au-
dientium mentes ignitæ in Dei amore & mandatis
diuinis efficiuntur, atq; ad supernæ considerationis
merita amplissimè ad laudem Dei proferre, & peren-
nibus temporibus permanenda scripturæ testimoniis
tradere, * dum vestro concursu & auxilio, Ecclesiæ * *accēdun-
tur. Vel ali-
quid simile.
* procura-
tur.*
Dei exaltatio, & fidei orthodoxæ * profligatur defen-
sio, pro quo benedictus & laudabilis in omnibus Re-
gibus coram DEO & hominibus esse dinosceris, Chri-
stianissime Rex, & nomen benignitatis tuæ exaratum
fulget in conspectu diuinitatis. Etenim dum huius
euoluto temporis spatio, quo nos nec vestræ sospitatis
relationem meruimus suscipere, nec penitus agno-
scere, quid circa vos ageretur, vel qualiter in itinere,
quo profecti estis, peregistis, nimis anxietatis feruore,
desiderij nostri affectio in hoc ipsum, ad discendum
sedulò prouocatur; præsertim, dum & à nostris ve-
strisque inimicis, aduersa nobis de ipsis partibus ad-
nuntiantur. Vnde desiderium magnum nobis inhe-
ret

T

ret

ret vestrae sospitatis gaudia addiscere, & vestris salutari-
 bus profectibus gratulari, & contra inimicorum cō-
 tritionem agnoscere. Pro quo, quaesumus, ut certos
 nos, sicut desideramus, per vestros nuntios, de vestra
 prosperitate & lætitia reddere iubeatis, quoniam ve-
 stra salus nostra est prosperitas, & vestra exaltatio, no-
 strum procul dubio est gaudium & immensa securi-
 tas, * *diuinam* dignamq; ex hoc Dei deprecamur potentiam, ut
que. ipse protector noster, & cum eius angelis dignetur
 præcellentissimam Christianitatem vestram tueri &
 gubernare, ut in coelestibus regnis, & cum sanctis &
 electis, qui ab initio mundi placuerunt Deo, multipli-
 citer consequaris mercedem, optantes quidem, ut nos
 certiores vestra si faciat à Deo protecta Excellentia;
 quid erga vos, aut Christianam gentem vestram agere
 videmini, & quomodo DEVS noster vestros ac no-
 stros humiliavit inimicos, & ut fati sumus, certos
 nos, sicut desideramus, de vestra prosperitate, & læ-
 titia reddere iubeatis. Incolumem Excellen-
 tiam vestram gratia superna
 custodiat.



Item